

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **M. Tvllii Ciceronis Orationvm Pars ...**

**Cicero, Marcus Tullius**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

Pro L. Mvraena

[urn:nbn:de:bsz:31-116557](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116557)

IN L. CATILINAM.

liberis, de aris ac focis, de sanis ac templis, de rostris  
urbis rectis ac sedibus, de imperio, de libertate, de  
salute Italia, deque vniuersa rep. decernite diligen-  
ter, vt instituisſis, ac fortiter. habetu enim consulem,  
qui & parere vestris decretis non dubitet: & ea qua  
statueritis, quo ad viuet, defendere, & per se ipsum  
praestare possit.

PROL. MVRÆ-  
NA.

ORATIO XXIII.



VAE precatus sum à dñs immorta-  
libus, iudices, more institutoque maio-  
rum illo die, quo auspicato, comitijs  
centuriatis, L. Muranam consulem re-  
nunciavit: vt ea res mihi, magistratui-  
que meo, populo plebique R. bene atq; feliciter eueni-  
ret: eadem precor ab hsdem dñs immortalibus ob e-  
iusdem hominis consulatum vnà cū salute obrinendū,  
& vt vestra mentes atque sententia cum populi R.  
voluntate suffragijsque consentiant: eaque res vobis  
populoque R. pacem, tranquillitatem, otium, concor-  
diamque afferat: quod si illa solennis comitiotorum  
precatio, consularibus auspicijs consecrata, tan-

ORATIO

ram habet in se vim & religionem, quantam reip.  
 dignitas postulat: idem ego sum precatus, ut is quo-  
 que hominibus, quibus hic consulatus me rogante  
 datus esset, ea res faustè feliciter, prospereque eueni-  
 2 ret: \* qua cum ita sint, iudices, cum omnis deorum  
 immortalium potestas aut translata sit ad vos, aut  
 certè communicata vobiscum: idem consul eum ve-  
 stra fidei commendat, qui antea djs immortalibus  
 commendauit, ut eiusdem hominis voce, & declara-  
 tus consul, & defensus, beneficium populo Roman.  
 cum vestra atque omnium ciuium salute iueatur.  
 & quoniam hoc officio studium mea defensionis  
 ab accusatoribus, atque etiam ipsa susceptio causse  
 reprehensa est: antequam pro L. Murena dicere in-  
 stituo, pro me ipso pauca dicam: non quod mihi po-  
 3 tior hoc quidem in tempore, sit officij mei, quam  
 huiusce salutis defensio: sed ut, meo facto vobis  
 probato, maiore auctoritate ab huius honore, fama,  
 fortunisque omnibus, inimicorum impetus prop-  
 pulsare possim. \* & primùm M. Cato, vitam ad  
 certam rationis normam dirigenti, & diligentissi-  
 mè perpendenti momenta officiorum omnium, de  
 officio meo respondebo. Negat fuisse rectum Cato, me  
 & consulem, & legis ambitus latorem & tam sauerè  
 gesto consulatu, causam L. Murena attingere. cuius  
 reprehensio me vehementer mouet, non solum  
 ut vobis, iudices, quibus maximè debeo, verum etiam  
 ut ipsi Catoni, grauissimo atque integerrimo viro,  
 rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Ca-  
 to, est aequius consulem defendi, quam à consule?  
 quis

PRO L. MURAENA

quis mihi in rep. potest, aut debet esse coniunctior,  
 quàm is, cui resp. à me vno traditur sustinenda,  
 magnis meis laboribus & periculis sustentata? quod  
 si in ijs rebus repetendis, quæ mancipij sunt, is peri-  
 culum iudicij præstare debet, qui se nexu obligauit:  
 profectò etiam rectius in iudicio consulis designati  
 is potissimum consul, qui consulem declarauit, au-  
 ctor beneficij populi Rom. defensorquæ periculi esse  
 debebit. \* ac si, vt nonnullis in ciuitatibus fieri so-  
 let, patronus huic causse publicè constitueretur: is  
 potissimè honore affectò defensor daretur, qui eo-  
 dem honore præditus, non minus afferret ad dicen-  
 dum auctoritatis, quàm facultatis. quod si è portu  
 soluentibus ij, qui iam in pòrtum ex alto inuehun-  
 tur, præcipere summo studio solent & tempesta-  
 rum rationem, & prædonum, & locorum: quòd na-  
 turà affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula,  
 quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo tan-  
 dem animo me esse oportet, propè iam ex magna  
 iactatione terram videntem, in hunc, cui video  
 maximas reip. tempestates esse subeundas? quare,  
 si est boni consulis, non solùm videre quid agatur,  
 verùm etiam providere quid futurum sit, osten-  
 dam alio loco, quantum salutis communis intersit,  
 duos consules in rep. Kalend. Ian. esse. \* quod si ita  
 est, non tam me officium debuit ad hominis amici  
 fortunas, quam resp. consulem ad communem sa-  
 lutem defendenda: vocare. Nam quòd legem de  
 ambitu tuli, certè ita tuli, vt eam, quam mihi met-

## ORATIO

ipsi iam pridem tulerim de ciuium periculis defendendis, non abrogarem: etenim si largitionem factam esse confiterer, idque recte factum esse defenderem: facerem improbè, etiam si alius legem tulisset. cum verò nihil commissum contra legem esse defendam: quid est, quod meam defensionem latio legis impediatur? \* negat esse eiusdem seueritatis, Catilinam, exitium reip. intra mœnia molientem, verbis, & penè imperio vrbe expulisse, & nunc pro L. Murana dicere. ego autem has partes lenitatis, & misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam verò grauitatis, seueritatisque personam non appetiui, sed à rep. mihi impostam sustinui, si. ut huius imperij dignitas in summo periculo ciuium postulabat. quod situm, cum resp. vim & seueritatem desiderabat, vici naturam, & tam vehemens fui, quam cogebat, non quam volebam: nunc, cum omnes me causa ad misericordiam, atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo natura mea consuetudinique seruire? ac de officio defensionis meae, ac de ratione accusationis tuae, forsasse etiam

7 alia in parte orationis dicendum nobis erit. \* Sed me, iudices, non minus hominis sapientissimi atque ornatissimi, Ser. Sulpitij conquestio, quam Catonis accusatio commouebat: qui grauissimè & acerbissimè se ferre dixit, me familiaritatis necessitudinisque oblitum, causam L. Muranae contra se defendere, huic ego, iudices, satisfacere cupio, vosque

PRO L. MURÆNA.

que adhibere arbitros. nam cum graue est, verè ac-  
 cusari in amicitia: tum etiam si falsè accuseris non  
 est negligendum. Ego, Serus Sulpiti, me in petitione  
 tua tibi omnia studia, atque officia pro nostra ne-  
 cessitudine & debuisse confiteor, & prestitisse arbi-  
 tror. nihil tibi consulatum petenti à me defuit, quod  
 esset aut ab amico, aut à gratioso, aut consule po-  
 stulandum. abiit illud tempus: mutata ratio est: sic  
 existimo, sic mihi persuadeo, me tibi contra honorem  
 L. Muræna, quantum tu à me postulare ausis sis, tan-  
 tum debuisse: contra salutem, nihil debere. neque  
 enim, si tibi tum, cum peteres consulatum, affui,  
 iccirco nunc, cum Muranam ipsum petas, adiutor  
 eodem pacto esse debeo. atque hoc non modò non lau-  
 dari, sed ne concedi quidem potest, vt amicis nostris  
 accusantibus, non etiam alienissimos defendamus.  
 mihi autem cum Muræna iudices, & verus, & magnà  
 amicitia est: qua in capitù dimicatione à Ser. Sul-  
 pitio non iccirco obruetur, quod ab eodem in hono-  
 ris contentione superata est. qua si caussa non esset,  
 tamen vel dignitas hominis, vel honoris eius, quem  
 adeptus est, amplitudo summam mihi superbia, cru-  
 delitatisque famam inuississet, si hominis & suis &  
 populi R. ornamentis amplissimi, caussam tanti pe-  
 riculi repudiassem. neque enim iam mihi licet, neque  
 est integrù, vt meū laborem hominum periculis suble-  
 uandis non impertiam, nam cum præmia mihi an-  
 tea pro hac industria sint data, quanta antea nemi-  
 si: labores, per quos ea cœperis, cum adeptus sis,

ORATIO

9 deponere, esset hominis & astuti, & ingrati.\* quidd  
 si licet desinere, si te auctore possum, si nulla inerti-  
 tia, nulla superbia turpitudine, nulla inhumanitatis  
 culpa suscipitur: ego vero libenter desino. sin autem  
 fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum su-  
 perbiam, amicorum neglectio improbitatem coar-  
 guit: nimirum hac causa est eiusmodi, quam nec  
 industrius, nec misericors, nec officiosus deserere  
 possit. atque huiusce rei coniecturam de tuo ipsius  
 studio, Serui, facillimè ceperis: nam si tibi necesse  
 putas etiam aduersarijs amicorum tuorum de iure  
 consulentibus respondere, & si turpe existimas, te  
 aduocato illum ipsum, quem contra veneris, causa  
 cadere: noli tam esse iniustus, vt, cum tui fontes vel  
 inimicis tuis pateant, nostros riuulos etiam amici-  
 20 putes clausos esse oportere. \* etenim si me tua fa-  
 miliaritas ab hac causa remouisset: & si hoc idem  
 Q. Hortensio, M. Crasso clarissimis viris, si item ce-  
 teris, à quibus intelligo tuam gratiam magni esti-  
 mari, accidisset: in ea ciuitate consul designatus  
 defensore non haberet, in qua nemini vnquam  
 infimo maiores nostri patronum deesse voluerunt.  
 ego vero, iudices, ipse me existimarem nefarium, si  
 amico: crudelem, si misero: superbum, si consuli de-  
 fuisssem. quare, quod dandum est amicitia, largè  
 dabitur à me, vt tecum agam, Serui, non secus, ac si  
 meus esses frater, qui mihi est charissimus: isto in  
 loco quod tribuendum est officio fidei, religioni, id  
 ita moderabor, vt meminerim me contra amici-  
 studium

PRO L. MURÆNA.

studium pro amici periculo dicere. \* Intelligo, iudices, tres totius accusationis partes fuisse, & earum unam in reprehensione vite, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam, atque harum trium partium prima illa, quæ gravissima esse debebat, ita fuit infirma, & levis, ut illos lex magis quadam accusatoria, quam vera maledicendi faculas de vita L. Muræna dicere aliquid coegerit. Obiecta est enim Asia, quæ ab hoc non ad voluptatem & luxuriam expetita est, sed in militari labore peragrata. quis si adolescens patre suo imperatore non meruisset, aut hostem, aut patris imperium timuisse, aut à parente repudiatus esse videretur. an, cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filij soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit. ut rebus communiter gestis penè simul cum patre triumpharet? \* hic 1<sup>2</sup> verò, iudices, & fuit in Asia, & viro fortissimo parenti suo magno adiumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. & si habet Asia suspicionem luxuria quandam: non Asiam nunquam vidisse: sed in Asia continenter vixisse, laudandum est. quamobrem non Asia nomen obijciendum Muræna fuit, ex qua laus familia, memoria generi, honos & gloria nomini constituta est: sed aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium, ac dedecus. meruisse verò stipendia in eo bello, quod tum populus R. non modò



ORATIO

maximum, sed etiam solum gerebat, virtutis: patre imperatore libentissime meruisse, pietatis: finem stipendiorum patri victoriam, ac triumphum fuisse, felicitatis fuit. maledicto quidem iccirco nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit. \* Saltatorem appellat L. Muranum Cato, maledictum est: si verè obicitur, vehementius accusatoris: si falso, maledicti conuivialoris. quare, cum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex truuio, aut ex scurrarum aliquo conuivio, neque temere consulem pop. R. saltatorem vocare: sed conspiciere, quibus præterea vitij affectum esse necesse sit eum, cui verè istud obijci possit. nemo enim ferè saltat sobrius, nisi forte insanit: neque in solitudine, neque in conuiuio moderato atque honesto. intempestiu conuiuij, amens loci, multarum deliciarum comes est extrema, saltatio: tu mihi arripuid, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum: relinquis illa, quibus remotu hoc vitium omnino esse non potest. nullu turpe conuiuium, non amor, non commessatio, non libido, non sumptus ostenditur: & cum ea non reperiantur, qua voluptatis nomen habent, quaque vitiosa sunt: in qua ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te vmbra luxuriam reperturum putas? \* nihil igitur in vitam L. Murana dici potest? nihil, inquam, omnino, iudices. sic à me consul designatus defenditur, et eius nulla fraus, nulla auaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum perulans dictum in vita profecto.

PRO L. MVRAENA.

proferatur. Benè habet, iacta sunt fundamenta de-  
 fensionis: nondum enim nostris laudibus, quibus v-  
 tar postea, sed propè inimicorum confessione virum  
 bonum, atque integrum hominem defendimus. quo  
 constituto, facilior est mihi aduſus ad contentio-  
 nem dignitatis, quæ pars altera fuit accusationis.\* 15  
 Summam video esse in te, Serui Sulpiti, dignita-  
 tem generis, integritatis, industria, ceterorumque or-  
 namentorum omnium, quibus fretum ad consula-  
 tus petitionem aggredi par est, paria cognosco esse  
 ista in L. Murana, atque ita paria, ut neque ipse  
 dignitate vinci potuerit, neque te dignitate supera-  
 rit. Contempſisti L. Murana genus, extulisti tuum.  
 quo loco si tibi hoc sumis, nisi qui patricius sit, nemi-  
 nem bono esse genere natum: facis, ut rursus plebs in  
 Auentinum senocanda esse videatur. sin autem sunt  
 ampla & honesta familia plebeia: & proauus L.  
 Murana, & auus, pratores fuerunt, & pater, cum  
 amplissimè atque honestissimè ex pratura trium-  
 phasset, hoc faciliorem huic gradum consulatus adi-  
 piscendi reliquit, quoddam iam patri debitum, à filio pe-  
 tebatur.\* tua verò nobilitas, Ser. Sulpiti, tametsi 16  
 summa est, tamen hominibus literatis, & historicis  
 est notior, populo verò & suffragatoribus obscurior.  
 pater enim fuit equestri loco, auus nulla illustri lau-  
 de celebratus: itaq; non ex sermone hominum recenti,  
 sed ex annalium vetustate eruenda est memoria no-  
 bilitatis tua. quare ego te semper in nostram numerum  
 aggregare soleo, quoddam virtute, industriaque perfecisti,  
 ut cum equitis R. esses filius, summa tamen am-  
 plitu-

ORATIO

plitudine dignus putare, nec mihi vnquam minus  
 in Q. Pompeio, nouo homine, & fortissimo viro, vir-  
 tutis esse visum est, quam in homine nobilissimo M.  
 Aemilio: etenim eiusdem animi atq; ingenij est poste-  
 ris suis, quod Pompeius fecit, amplitudinem nomi-  
 nis, quam non acceperit, tradere, & vt Scaurus me-  
 moriam propè intermortuam generis sui, virtute  
 17 renouare. \* quanquam ego iam putabam, iudices,  
 multis viris fortibus ne ignobilitas obijceretur gene-  
 ris, meo labore esse perfectum: qui non modo Curijs,  
 Catonibus, Pompeijs, antiquis illis fortissimis viris,  
 nouis hominibus, sed recentibus Marijs, & Didijs &  
 Caelijs commemorandis iacebant. cum ego verò tan-  
 to interuallo claustra ista nobilitatis refregissem, vt  
 aditus ad cōsultum posthac, sicut apud maiores no-  
 stros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti pate-  
 ret: non arbitrabar, cum ex familia vetere, & illu-  
 stri consul designatus ab equitis R. filio consule de-  
 federetur, de generis nouitate accusatores esse dictu-  
 ros. etenim mihi ipsi accidit, & cum duobus patricijs,  
 altero improbissimo atque audacissimo, altero mo-  
 destissimo atque optimo viro peterem: super aui tamen  
 dignitate Catilinam, gratia Galbam. quod si id cri-  
 men homini nouo esse deberet, profectò mihi neque  
 18 inimici, neque inuidi defuissent. \* omittamus igitur  
 de genere dicere, cuius est magna in vtroque digni-  
 tas: videamus cetera. Questuram vna petijt, & sum  
 ego factus prior. Non est respondendum ad omnia:  
 neque enim quenquam vestrum fugit, cum multi  
 pares dignitate fiant, vnus autem primum solus pos-  
 sit

PRO L. MURAENA.

fit obtinere, non eundem esse ordinem dignitatis, & renunciationis: propterea quod renunciatio gradus habeat: dignitas autem sit persæpè eadem omnium: sed quaestura utriusque propemodum pari momento fortis fuit: habuit hic lege Tertia prouinciam tacitam, & quietam: tu illam, cui, cum quaestores sortiuntur, etiam acclamari solet, Hostiensem, non tam gratiosam, & illustrem, quam negotiosam, & molestam, condescit utriusque nomen in quaestura: nullum enim urbis fors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoscique posset. \* reliqui temporis spacium in contentionem vocatur, ab utroque dissimillima ratione tractatum. Seruius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, canendi, plenam sollicitudinis, ac stomachi secutus est: ius civile didicit, multum vigilauit, laborauit, praesidio multis fuit, multorum stultitiam perpressus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exorbuit, vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum, magna laus, & grata hominibus, vnum hominem elaborare in scientia, qua sit multis profutura. \* quid Muraena interea? fortissimo, & sapientissimo viro, summo imperatori Legatus L. Lucullo fuit. qua in legatione duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit, vrbes partim vi, partim obsidione cepit: Asiam istam refertam, & eandem delicatam sic obiit, vt in ea neque auaritia, neque luxuria vestigium reliquerit: maximo in bello sic est versatus, vt hic nullas res & magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator. atque hæc, quanquam presente L.

ORATIO

L. Lucullo loquar, tamen ne ab ipso propter periculum nostrum, concessam videamur habere licentiam fingendi, publicis literis testata sunt omnia, quibus L. Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitiosus imperator, neque invidus tribuere alteri  
 21 in communicanda gloria debuit. \* summa in vtroque est honestas, summa dignitas, quam ego, si mihi per Seruium liceat, pari atque eadem in laude ponam: sed non licet, agitat rem militarem, insectatur totam hanc legationem, assiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat esse consulatum. apud exercitum mihi fueris, inquit, tot annos? forum non attigeris? abfueris tandiu? & cum longo interuallo veneris, cum his, qui in foro habitauerunt, de dignitate contendas? primum, ista nostra assiduitas, Serui, nescis, quantum interdum asserat hominibus fastidium, quantum satietatis. mihi quidem vehementer expedit, positam in oculis esse gratiam: sed tamen ego mei satietatem magno meo labore superavi: & tu idem fortasse: veruntamen vtrique nostrum desiderium  
 22 nihil obfuisse. \* sed ut hoc omisso ad studiorum, atque artium contentionem revertamur: qui potest dubitari quin ad consulatum adipiscendum multo plus asserat dignitatis, rei militaris, quam iuris civilis gloria? vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut quod intendit, maturè cum exercitu perueniat, te gallorum, illum buccinarum cantus exuscitat. tu actionem instituis: ille aciem instruit. tu caues ne tui consultores: ille ne vrbes aut castra capiantur: ille tenet, & scit, ut hostium copia: tu, ut aqua pluuia arceamur. ille exercitatus est in propa-  
 ganda

PRO L. MVRAENA.

gandis sniburtu in regendis, ac nimium (dicendum  
 est enim, quod sentio) rei militaris virtus praestat ce-  
 deris omnibus. hac nomen populo R. hac huic vrbi ater-  
 nam gloriam peperit: hac orbem terrarū parere huic  
 imperio coegit. omnes urbanae res, omnia haec nostra  
 praclara studia, & hac forensis laus, & industria la-  
 sent in tutela ac praesidio bellica virtutis simulatq; in-  
 crepuit suspicio tumultus, artes illic nostrae contice-  
 scunt.\* Et quoniam mihi videris istam scientiam iu- 23  
 ris tanquam siliolam osculari tuam, non patiar te in  
 tanto errore versari, vt istud nescio quid, quod tan-  
 to opere didicisti, praclarum aliquid esse arbitrare: a-  
 lijs ego te virtutibus, continentia, grauitatis, iustitia,  
 fidei, ceteris omnibus, consulatu, & omni honore sem-  
 per dignissimum iudicauit: quod quidem ius ciuile di-  
 didicisti: non dicam operam perdidisti, sed illud dicam,  
 nullam esse in illa disciplina munitam ad consularum  
 viam. omnes enim artes, quae nobis populi R. studia  
 conceliant, & admirabilem dignitatem, & pergrua-  
 ram utilitatem debent habere.\* summa dignitas est 24  
 in ijs, qui militari laude antecellunt: omnia enim,  
 quae sunt in imperio, & in statu ciuitatis ab ijs defen-  
 di, & firmari putantur: summa etiam utilitas: si qui-  
 dem eorum consilio, & periculo cum rep. tum etiam  
 nostris rebus perfrui possumus. grauis etiam illa  
 est, & plena dignitatis dicendi facultas, quae saepe  
 valuit in consule deligendo, posse consilio, atque  
 oratione & senatus, & populi, & eorum, qui res  
 iudicant, mentes permouere. quaritur consul, qui  
 dicendo nonnunquam comprimat tribunitios furo-  
 res, qui concitatum populum flectat, quia largitione  
 rest.

ORATIO

resistat. non mirum, si ob hanc facultatem homines  
 sapē etiam non nobiles, consulatum consecuti sunt:  
 praesertim cum hac eadem res plurimas gratias, fir-  
 missimas amicitias, maxima studia pariat. quorum  
 25 in isto vestro artificio, Sulpiti, nihil est. \* primum,  
 dignitas in tam tenui sciētia quae potest esse: res enim  
 sunt parua, propē in singulis literis atque interpun-  
 ctionibus verborum occupata: deinde, etiam si quid  
 apud maiores nostros fuit in isto studio admirationis,  
 id enunciatis vestris mysterijs totum est contem-  
 tum, & abiectum. possit agi lege, nec ne pauci quon-  
 dam sciebant: factos enim vulgō non habebant: erant  
 in magna potentia qui consulebantur: à quibus eti-  
 am dies tanquam à Cbaldeis petebantur. inuentus  
 est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos  
 confixerit, & singulis diebus ediscendos factos populo  
 proposuerit, & ab ipsis cautis iuriconsultis eorum  
 sapientiam compilarit. itaque irati illi quod sunt  
 veriti, ne, dierum ratione prouulgata, & cognita,  
 sine sua opera lege posset agi, notas quasdam com-  
 posuerunt, vt omnibus in rebus ipsi interessent. \*  
 26 cūm hoc fieri bellissimē posset: fundus Sabinus meus  
 est, imo meus, deinde iudicium: noluerunt. fundus,  
 inquit, qui est in agro, qui Sabinus vocatur. satū ver-  
 bosē, ceddō, quid postea? ego eum ex iure meum esse a-  
 io. quid tum? inde ego te ex iure manu confertum vo-  
 co. quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille,  
 vnde petebatur, non habebat, transit idem iuricon-  
 sultus tibicinis Latini modo: vnde tu me, inquit, ex  
 iure manu confertum vocasti, inde ibi ego te reuoco.

pra

PRO L. MVRAENA.

prator interea ne pulchrum se ac beatum putaret,  
 atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque car-  
 men impositum est. cum ceteris rebus absurdum, tum  
 verò nullo usu: Virisque superstitibus presentibus: istam  
 viam dico. inite viam, praefo aderat sapiens ille, qui  
 inire viam diceret: Redite viam; eodem duce redi-  
 bant. hac iam tum apud illos barbato ridicula, cre-  
 do, videbantur, homines, cum rectè atque in loco con-  
 stitissent, iuberi abire, ut, vnde abissent, eodem sta-  
 tim redirent. iisdem ineptis fucata sunt illa omnia,  
 Quando te in iure conspicio. & hac, sed an ne tu di-  
 cis, qui causa vindicaueris? qua dum erant occulta,  
 necessariò ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea  
 verò peruulgata, atque in manibus iactata, & ex-  
 cussa, inanis prudentia reperta sunt; fraudis  
 autem, & stultitia plenissima. \* num cum permul- 27  
 ta praclare legibus essent constituta, ea iure consul-  
 torum ingenis pleraque corrupta, ac deprauata  
 sunt. mulieres omnes propter infirmitatem consilij  
 maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi inue-  
 nerunt genera tutorum, qua potestate mulierum  
 continerentur. sacra interire illi noluerunt: horum  
 ingenio senes ad redemptionem faciendas interimen-  
 dorum sacrorum causa reperti sunt. in omni denique  
 iure civili aequitatem reliquerunt, verba ipsa tene-  
 runt: ut, quia in alicuius libris exempli causa id no-  
 men inuenerant, putarunt omnes mulieres, qua co-  
 emptionem facerent, Caias vacari. iam illud mihi  
 quidem mirum videri solet, tot homines, tam in-  
 geniosos, per tot annos etiam nunc statuere non po-



ORATIO

uisse, utrum diem tertium, an perendinum, iudicem, an arbitrum, rem, an litem dici oporteret.

28 \* itaque, ut dixi, dignitas in ista scientia consularis nunquam fuit, qua tota ex rebus fictis commentitijsque constaret: gratia verò multò etià minus, quod anim omnibus patet, & aequè promptum est mihi & aduersario meo, id esse gratum nullo pòcto potest. itaque non modò beneficij collocandi spem, sed etiam illud, quod aliquando fuit, licet consulere, iam perdidisti. sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, qua neq, extra Romam vsquã, neq, Romarebus prolatis quicquam valet. peritus ideo haberi nemo potest, quòd in eo, quod sciunt omnes, nullo modo possunt inter se discrepare. difficilis autem res ideo non putatur, quòd & per paucos, & minimè obscurus literis continetur: itaque si mihi homini vehementer occupato, stomachum moueritis, triduo me iurisconsultum esse profitebor. etenim, qua de scripto aguntur, scripta sunt omnia: neque tamen quicquam tam angustè scriptum est, quòd ego non possim. Qua de re agitur, addere, qua consuluntur autem, minimo pericula respondentur. si id quod oportet, responderis, idem videre respondisse quod Seruius: sin aliter, etiam controuersum esse nosse, & tractare

29 videre. quapropter non solum illa gloria militaris, vestris formulis, atque actionibus anteponenda est: verum etiam dicendi consuetudo longè & multum, isti vestra exercitationi ad honorem antecellet. itaque mihi videntur plerique initio multò

hoc

PRO L. MVRAENA.

hoc maluisse: post, cūm id assequi non potuissent, istus  
 potissimum sunt delapsi. vt aiunt in gracijs artifi-  
 cibus, eos auleias esse, qui citibaccedi fieri non potuerint.  
 sic nonnullos videmus, qui oratores euadere non po-  
 tuerunt, eos ad iurū studium deuenire. magnus di-  
 cendi labor, magna res, magnas dignitas, summa e-  
 tiam gratia: etenim à vobis salubritas quadā, ab ijs,  
 qui dicunt, salus ipsa petitur. deinde vestra responsa  
 atque decreta & euertuntur sapè dicendo, & sine de-  
 fensione oratoris, firma esse non possunt. in qua re  
 si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem:  
 nunc nihil de me dico, sed de ijs, qui in dicendo mag-  
 ni sunt, aut fuerunt. \* Dua sunt artes, qua possunt  
 locare homines in amplissimo gradu dignitatis, vna  
 imperatoris, altera oratoris boni: ab hoc enim pacis  
 ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repel-  
 luntur. cetera tamen virtutes ipse per se multū va-  
 lent, iustitia, fides, pudor, temperantia: quibus te Ser-  
 ui, excellere omnes intelligunt: sed nunc de studijs ad  
 honorem dispostris, non de instra cuiusque virtute di-  
 sputo, omnia ista vobis studia de manibus excutiun-  
 tur, simulatque aliquis motus nouus, bellicum canere  
 cepit. etenim, vt ait ingeniosus poeta, & auctor valde  
 bonus, praelijs promulgatis, TOLLITVR E MEDIO  
 non solum ista vestra verbosa simulatio prudentia:  
 sed etiam ipsa domina rerum SAPIENTIA: VI-  
 GERITVR RES, SPERNITVR ORATOR non  
 solum odiosus in dicendo, ac loquax, verū etiam  
 BONVS: HORRIDVS MILES AMATVR: ves-  
 trum verò studium totum iacet. NON EX IV-

RE

ORATIO

RE MANV CONSERTVM, SED MAGE FERRO,  
 inquit. REM REPETVNT. quod si ita est, cedat opi-  
 nor, Sulpiti, forum castris, otium militia, stylus gla-  
 dio, umbra soli: sit denique in ciuitate ea prima ars,  
 propter quam ipsa est ciuitas omnium princeps. \* ve-  
 31 rum hac, Cato, nimium nos nostris verbis magna  
 facere demonstrat, & oblitos esse bellum illud om-  
 ne Mithridaticum cum mulierculis esse gestum. quod  
 ego longè secus existimo, iudices, deque eo pauca  
 disseram: neque enim causa in hoc continetur. Nam,  
 si omnia bella, qua cum Graecis gestimus, contemnen-  
 da sunt: derideatur de rege Pyriho triumphus M. Cu-  
 rii: de Philippo T. Flaminij: de Aetolis M. Fuluij: de  
 rege Perse L. Pauli: de Pseudophilippo Q. Metelli: de  
 Corinthijs L. Mummi: sin hac bella grauissima, victo-  
 riaque eorum bellorum grauissima fuerunt: cur A-  
 siatica nationes atque ille à te hostis contemnitur?  
 atqui ex veterum rerum monumentis, vel maximum  
 bellum populum R. cum Antiocho, gessisse video: cu-  
 ius belli victor L. Scipio, parta cum P. fratre gloria,  
 quam laudem ille, Africa oppressa, cognomine ipso  
 pra se ferebat, eandem hic tibi ex Asia nomine as-  
 32 sumpsit: \* quo quidem in bello virtus eintuit egregia  
 M. Catonis proauitui. quod ille, cum esset, vt ego mihi  
 statuo, talis, qualem te esse video, nunquam cum  
 Scipione esset profectus, si cum mulierculis bellan-  
 dum esse arbitraretur. neque verò cum P. Africano  
 senatus egisset, vt legatus fratri proficisceretur,  
 cum ipse paulò antè Annibale ex Italia ex-  
 pulso,

PRO L. MVRAENA

pulso, ex Africa eieceto, Carthagine oppressa, maxi-  
 mis periculis temp. liberauisset, nisi illud graue  
 bellum, & vehemens putaretur. atqui si diligenter,  
 quid Mithridates potuerit, & quid effecerit, & qui  
 vir fuerit, consideraris, omnibus regibus, quibus-  
 cum populus R. bellum gessit, hunc regem nimirum  
 antepones, quem L. Sylla maximo, & fortissimo  
 exercitu, pugna exercitatum, non rudis imperator,  
 vt aliud nihil dicam, eum bello inuictum totam in  
 Asiam, cum pace dimisit: quem L. Murana pater  
 huiusco vehementissime vigilantissimeque vexatum,  
 repressum magna ex parte, non oppressum reliquit:  
 qui rex sibi aliquot annis sumptis, ad confirman-  
 das rationes, & copias belli, tantum ipse opibus co-  
 natuque inualuit, vt se Oceanum cum Ponto, Serto-  
 rij copias cum suis coniuncturum putaret.\* ad quod <sup>33</sup>  
 bellum duobus consulibus ita missus, vt alter Mi-  
 thridatem persequeretur, alter Bithyniam tuere-  
 tur. alterius res, & terra, & mari calamitosa, ve-  
 hementer & opes regis, & nomen auxerunt: L. Lu-  
 culli vero res tanta extiterunt, vt neque maius bel-  
 lum commemorari possit, neque maiore consilio &  
 virtute gestum. nam cum totius impetus belli ad  
 Cizicenorū mœnia constitisset, eamque urbem sibi  
 Mithridates Asia ianuam fore putauisset, qua ef-  
 fracta, & reuulsa tota pateret prouincia: perfecta à  
 Lucullo hac sunt omnia, vt urbs fidelissimorum so-  
 ciorum defenderetur, vt omnes copiae regis diutur-  
 nitate obsidionis consumerentur. quid? illam pu-  
 gnā naualem ad Tenedum, cum contento cursu,  
 T  
 acer-

ORATIO

acerrimis ducibus, hostium clasſus Italiam spe, atque animis inflata peteret, mediocri certamine, & parva dimicatione commissam arbitraris? mitto praelia: praterea oppugnationes oppidorum: expulsu regno tandem aliquando, tantum tamen consilio atque auctoritate valuit. ut se, rege Armeniorum adiuncto, novis opibus, copiisque renouarit. ac si mihi nunc de rebus gestis esset nostri exercitus imperatorisque dicendum, plurima & maxima praelia commemorare possem: sed non id agimus. \* hoc dico: si bellum hoc, si hic hostis, si ille rex contemnendus fuisset: neque tanta cura senatus, & populus R. suscipiendum putasset, eque tot annos gessisset, neque tanta gloria L. Luculli, neque verò eius belli conscientia curam tanto studio populi Rom. ad Cn. Pompeium derulisset: cuius ex omnibus pugnis, quae sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quae cum rege commissa est, & summa contentione pugnatam, quae ex pugna cum se ille eripuisset, & Bosphorum confugisset, quo exercitus adire non posset, etiam in extrema fortuna & fuga, nomen tamen retinuit regum. itaque ipse Pompeius regno possesso, ex omnibus oris ac notis sedibus hoste pulso tamen tantum in vnus anima posuit, ut, cum omnia, quae ille tenuerat, adierat, sperarat, victoria possideret, tamen non antè, quam illum vita expulit, bellum confectum iudicaret. hunc tu hostem, Cato, contemnis? quo cum per tot annos, tot praelijs, tot imperatores bella gesserunt? cuius expulsi, & eiecti, vita tanti aestimata est, ut, morte eius nun-

PRO L. MURAENA.

ciata, tum denique bellum confectum arbitremur<sup>opus</sup>  
 hoc igitur in bello L. Muraenam legatum fortissimi  
 animi, summi consilij, maximi laboris cognitum  
 esse defendimus, & hanc eius operam non minus  
 ad consulatum adipiscendum, quam hanc nostram  
 forensam industriam dignitatis habuisse. \* At 35  
 enim in praetura petitione prior renunciatus est Ser-  
 vius. pergitisne vos, tanquam ex syngrapha, agere  
 cum populo, ut quem locum semel honoris cuiquam  
 dederit, eundem reliquis honoribus debeat? quod e-  
 nim fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam  
 varias habere putatis agitationes fluctuum, quan-  
 tas perturbaciones & quantos astus habet ratio co-  
 mitiorum? dies intermissus vnus, aut nox interpo-  
 sita saepe perturbat omnia, & totam opinionem  
 parua nonnunquam commutat aura rumoris. saepe  
 etiam sine vlla aperta causa fit aliud, atque existi-  
 mamus: ut nonnunquam ita factum esse etiam po-  
 pulus admiretur: quasi verò non ipse fecerit. \* nihil 36  
 est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate homi-  
 num, nihil fallacius ratione tota comitiorum. quis  
 L. Philippum summo ingenio, opera, gratia, no-  
 bilitate, à M. Herennio superari posse arbitratus  
 est? quis, Q. Catulum, humanitate, sapientia, inte-  
 gritate antecellentem, à Cn. Manlio? quis M. Scau-  
 rum hominem grauissimum, ciuem egregium, for-  
 tissimum senatorem à Q. Maximo? non modo horum  
 nihil ita fore putatum est, sed ne cum esset factum  
 quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit. nam  
 vt tempestates saepe certo aliquo cali signo commouen-

ORATIO

tur, sapè improvisò nulla ex cerra ratione, obscura aliqua ex causa excitantur: sic in hac comitorum tempestate populari sapè intelligas, quo signo commota sit: sapè ita obscura est, vt casu excitata esse videatur. \* sed tamen si est reddenda ratio, dua res vehementer in pratura desideratae sunt, qua amba in consulatu tum Murana profuerunt: vna, expectatio muneris, qua & timore nonnullo, & studijs sermonibique competitorum creuerat: altera, quòd ij, quos in prouincia, ac legatione omnis, & liberalitatis, & virtutis suae testes habuerat, nondum decesserant: horum virumque ei fortuna ad consulatus petitionem reseruauit: nam & L. Luculli exercitus, qui ad triumphum conuenerat, idem comes L. Murana praesto fuit: & munus amplissimum, quod petitio pratura desiderabat, 37 pratura restituit. \* nunc tibi haec parua videntur adiumenta, & subsidia consulatus? voluntas militum? quae cum per se valet multitudine, eum, apud suos gratia: tum verò in consule declarando multum etiam apud vniuersum populum R. auctoritatis habet suffragatio militaris: imperatores enim comitijs consularibus, non verborum interpretes deliguntur. quare grauis est illa oratio: me saucium recreauit, me praeda donauit: hoc duce castra cepimus, signa contulimus: nunquam iste plus militi laboris imposuit, quam sibi sumpsit: ipse cum fortis, sum etiam felix. hoc quanti putas esse ad famam hominum, ac voluntatem? etenim si tanta illis comitijs religio est, vt adhuc semper omen voluerit praerogatum: quid mirum

PRO L. MURAENA.

mirum est, in hoc felicitatis famam, sermonemque  
 valuisse? \* sed si hoc leuiora ducis, qua sunt grauis- 39  
 ma & hanc vrbanam suffragationem militari an-  
 teponis: noli ludorum huius elegantiam & scena  
 magnificentiam valde contemnere, qua huic ad-  
 modum profuerunt. nam quid ego dicam popu-  
 lum, ac vulgus imperitorum ludis magnopere de-  
 iectari? minus est mirandum, quanquam huic  
 causa id satis est: sunt enim populi, ac multitudinis  
 comitia. quare si populo ludorum magnificentia  
 voluptati est, non est mirandum, eam L. Murana  
 apud populum profuisse. sed si nosmetipsi, qui & à  
 delectatione omni, negotijs impedimur, & in ipsa  
 occupatione delectationes alias multas habere pos-  
 sumus, ludis tamen oblectamur, & ducimur:  
 quid tu admirere de multitudine indocta? \* L. 40  
 Ottho, vir fortis, meus necessarius, equestri ordi-  
 ni restituit non solum dignitatem, sed etiam volu-  
 pratem. itaque lex haec, qua ad ludos pertinet, est  
 omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum  
 splendore, fructus quoque iucunditatis est restitutus.  
 quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam  
 illos qui dissimulant, non solum eos, qui fatentur:  
 quod ego in mea petitione sensi: nam nos quoque ha-  
 buimus scenam competitivam. quod si ego qui tri-  
 nos ludos adilis feceram, tamen Antonij ludis com-  
 mouebam: tibi, qui casu nullos feceras, nihil huius ista  
 ipsam, quam irrides argenteam scenam aduersatam  
 putas? \* sed hoc sanè. sint paria omnia: sit par fo- 41  
 rensis opera militari: sit par militari suffragatio



ORATIO

urbana: sit eodem magnificentissimos, & nullos unquam fecisse ludos: quid? in ipsa pratura nihilne existimas inter tuam & istius sortem interfuisse? huius fors ea fuit, quam omnes tui necessarii tibi optabamus, iuris dicundi: in qua gloriam conciliat magnitudo negotij, gratiam aequitatis largitio: qua in sorte sapiens prator, qualis hic fuit, offensionem vitat aequabilitate decernendi, benevolentiam adiungit lenitate audiendi egregia, & ad consulatum apta prouincia, in qua laus aequitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate concluditur: \* quid tua fors? tristis, atrox, questio peculatus: ex altera parte lacrymarum & squaloris: ex altera plena catenarum atque iudicum. cogendi iudices inuiti, retinendi contra voluntatem: scriba damnatus, ordo totus alienus: Syllana gratificatio reprehensa: multi viri fortes, & propè pars ciuitatis offensa est: lites seuerè aestimata: cui placet, obliuiscitur: cui dolet, meminit. postremò tu in prouinciam ire noluisti. non possum id in te reprehendere, quod in me ipso & prator, & consul probaui: sed tamen L. Muræna prouincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit. habuit proficiens delectum in Vmbria: dedit ei facultatem resp. liberalitatis: qua vsus, multas sibi tribus, qua municipijs Vmbria conscriuntur. adiunxit. ipse autem in Gallia, vt nostri homines desperatas iam pecunias exigerent, aequitate diligentiaque perfecit. tu interea Roma scilicet amicis praesidio fuisti: fateor: sed tamen illud cogita, nonnullorum ami-

PRO L. MVR AENA

amicorum studia minui solere in eos, à quibus pro-  
uincias contemni intelligant. \* quoniam ostendi, 34  
iudices, parem dignitatem ad consularis petiti-  
onem, disparem fortunam prouincialium negotiorum  
in Murrana, atque in Sulpitio fuisse: dicam iam a-  
pertius, in quo meus necessarius fuerit inferior, Ser-  
uius: & ea dicam vobis audientibus amisso iam tem-  
pore, quae ipsi soli re integra saepe dixi.

Petere consulatum nescire te, Serui, per saepe dixi:  
& in ijs rebus ipsis, quas te magno, & forti animo  
& agere, & dicere videbam, tibi solus sum dice-  
re, magis te fortem senatorem mihi videri, quam  
sapientem candidatum. primum accusandi terro-  
res, & minae, quibus tu quotidie vti solebas, sunt  
fortis viri: sed & populi opinionem à spe adipis-  
cendi auertunt, & amicorum studia debilitant.  
nescio quo pacto semper hoc sit, neque in vno, aut al-  
tero animaduersum est, sed iam in pluribus: simul  
atque candidatus a accusationem meditari visus est,  
vt honorem desperasse videatur. \* quid ergo? accep- 44  
tam iniuriam persequi non placet? immò vehemen-  
ter placet: sed aliud tempus est petendi, aliud perse-  
quendi, petiorem ego, praesertim consulatus, magna  
spe, magno animo, magnis copijs & in forum, &  
incampum deduci volo: non placet mihi inquisitio  
candidati praeiudicia repulsae: non testium poti-  
us, quam suffragatorum comparatio: non mi-  
nus magis, quam blanditiae: non declamatio potius,  
quam saluatio: praesertim cum iam hoc voto riore  
omnes ferè domos omnium concurrerent, & ex vul-

ORATIO

45 tu candidatorum coniecturam faciant, quantum quisque animi, & facultatu habere videatur. \* vide-  
ne tu illum tristem, demissum? iacet, diffidit, abie-  
cit hastas. serpit hic rumor: scis tu, illum accusatio-  
nem cogitare? inquirere in competitores? testes qua-  
rere? alium faciam: quoniam sibi hic ipse desperat.  
eiusmodi candidatorum amici intimi debilitantur,  
studia deponunt, aut testatam rem abijciunt, aut  
suam operam, & gratiam iudicio & accusationi  
reservant. accedit eodem, ut etiam ipse candidatus  
totum animum, atque omnem curam, operam, di-  
ligentiamque suam in petitione non possit ponere:  
adiungitur enim accusationis cogitatio, non par-  
ua res, sed nimirum omnium maxima: magnum  
est enim te comparare ea, quibus posis hominam e  
ciuitate, praesertim non inopem, neque infirmum  
exturbare, qui & per se, & per suos, & verdeti-  
am per alienos defendatur: quos enim ad pericula  
propulsanda concurrimus: & qui non aperte ini-  
mici sumus, etiam alienissimi in capitis periculis  
46 amicissimorum officia, & studia praestamus. \* quare  
ego expertus & petendi, & defendendi, & accusandi  
molestiam, sic intellexi, in petendo studium esse a-  
cerrimum, in defendendo officium, in accusando la-  
borem. itaque sic statuo, fieri nullo modo posse, ut i-  
dem accusationem, & petitionem consularis diligen-  
ter adoret, atque instituat. vnum sustinere pauci pos-  
sunt: vtrumque nemo. tu, cum de curriculo petitionis  
deflexisses, animumque ad accusandum transtu-  
lisses, existimasti te virique negotio satisfacere posse?

PRO L. MVRAENA.

vehementer errasti. quis enim dies fuit, posteaquam  
 in istam accusandi denunciationem ingressus es,  
 quem tu non totum in ista ratione consumpseris? le-  
 gem ambitu flagitasti, qua tibi non deerat: erat  
 enim seuerissimè scripta Calpurnia, gestus est mos  
 & voluntati, & dignitati tua: sed tota illa lex ac-  
 cusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortas-  
 se armasset: petitioni verò refragata est. \* pœna 47  
 grauior iam plebem tua voce efflagitata est: com-  
 moti animi tenuiorem, exilium in nostrum ordinem,  
 concessit Senatus postulationi tua, sed non libenter  
 duriozem fortuna communi conditionem, te aucto-  
 re, constituit. morbi excusationi pœna addita est: vo-  
 luntas offensa multorum, quibus aut contra valetudi-  
 nis commodum laborandum est, aut incommo-  
 do morbi etiam ceteri vita fructus relinquendi. quid  
 ergo? hac quis tulit? is, qui auctoritate senatus volun-  
 tati tua paruit: denique is tulit, cui minime prode-  
 rant illa, qua mea summa voluntate senatus fre-  
 quens repudiauit, mediocriter aduersata tibi esse ex-  
 istimas? confusionem suffragiorum flagitasti. proro-  
 gationem legis Manilia, æquationem gratiæ, digni-  
 tatis, suffragiorum grauius homines honesti, atque in  
 suis ciuitatibus, & municipijs gratiosi tulerunt, à tali  
 viro esse pugnatum, vt omnes & dignitatis, &  
 gratiæ gradus tollerentur. idem editicios iudices esse  
 voluisti, vt odia occulta ciuium, qua tacitis nunc  
 discordijs continentur, in fortunas optimi cuiusque  
 erumperent. \* hac omnia tibi accusandi viam mun-  
 nebant, adipiscendi obsepiebant, atq; ex omnibus illa 48

ORATIO

plaga est iniecta petitioni tua, non tacente maxima: de qua ab homine ingeniosissimo & copiosissimo Hortensio multa gravissimè dicta sunt: quo etiam mihi durior locus est dicendi datus: ut, cum ante me & ille dixisset, & vir summa dignitate, & diligentia, & facultate dicendi, M. Crassus, ego in extremo non partem agerem aliquam causse, sed de tota re dicerem, quod mihi videretur. Itaque in istis rebus ferè versor, & quoad possum, iudices, occurreo vestra sapientia. sed tamen, Serui, quam te securem putas iniectisse petitioni tua, cum tu populum R. in eum metum adduxisti, ut periret, ne consul Catilina fieret, dum tu accusationem committes, parares, deposita, atque abiecta petitione? \* etenim te inquirere videbant tristem ipsum: moestos amicos, observationes, testificationes, seductiones testimonium, secessionem subscriptorum animadvertabant: quibus rebus certè ipsi candidatorum vultus obscuriores videri solent. Catilinam interea alacrem atque letum stipatum choro inuentutis, vallatum iudicibus, atque sicarijs, inflatum cum spe militum, tum collega mei, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Arretinorum & Fesulanorum exercitus. quam turbam dissimillimo ex genere distinguebant homines percussis, Syllani temporis calamitate. vultus erat ipsius plenus furoris, oculi sceleris, sermo arrogantia, sic, ut etiam exploratus, & domi conditus consulatus videretur: Muranam contemnebat: Sulpitium accusatorem suum numerabat, non competitorum: ei vim denunciat:

PRO L. MURAENA.

ciabat: reip. minabatur. \* quibus rebus, qui timor<sup>50</sup>  
 bonus omnibus iniectus sit, quantaque desperatio reip.  
 si ille factus esset, nolite à me commoneri velle, vos-  
 met ipsi vobiscum recordamini. meministis enim, cum  
 illius nefarij gladiatoris voces percrebuisissent, quis  
 habuisse in concione domestica dicebatur, cum mi-  
 serorum fidelem defensorem, negasset inueniri pos-  
 se, nisi eum, qui ipse miser esset: integrorum & for-  
 tunatorum promissis faucios & miseros credere non  
 oportere: quare qui consumpta replere, erepta recu-  
 perare vellent. spectarent, quid ipse deberet, quid pos-  
 sideret, quid auderet. minime timidum, & valde  
 calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux,  
 & signifer calamitosorum. \* tum igitur, his rebus<sup>51</sup>  
 auditis, meministis fieri S. C. referente me, ne po-  
 stero die comitia haberentur, vt de his rebus in senatu  
 agere possemus. itaque postridie frequenti senatu Ca-  
 tilinam excitavi, atque eum de ijs rebus iussi, si quid  
 vellet, qua ad me allata essent, dicere. atque ille vt  
 semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indi-  
 cavit atque innuit. tum enim dixit, duo corpora  
 esse reip. vnum debile infirmo capite, alterum  
 iustum sine capite. huic, cum ira de se meritum  
 esset, caput se viuo non defuturum. congenuit se-  
 natus frequens, neque tamen satis seuerè pro rei  
 indignitate decreuit: nam partim ideo fortes in de-  
 cernendo non erant, quia nihil timebant: partim,  
 quia timebant. tum erupit è senatu triumphans  
 gaudio, quem omnino viuum illinc exire non oport-  
 uerat, praesertim cum idem ille, in edem ordine  
 paucis

ORATIO

paucis diebus autè, Catoni fortissimo viro iudicium  
 nimitanti, ac denuncianti, respondisset, si quod esset  
 in suas fortunas incendium excitatum, id se non  
 52 aqua, sed ruina restinaturum. \* his tum rebus com-  
 motus, & quòd homines iam tum coniuratos cum  
 gladijs in campum deduci à Catilina sciebam, de-  
 scendi in campum cum firmissimo praesidio fortissi-  
 morum virorum, & cum illa lata insignique lorica,  
 non qua me tegeter ( etenim sciebam Catilinam  
 non latus aut ventrem, sed caput & collum solere  
 petere ) verum ut omnes boni animaduertent, &  
 cum in metu & periculo consulem viderent, id quod  
 est factum, ad opem praesidiumque meum concur-  
 verent. itaque cum te, Serui, remissiore in peten-  
 do putarent, Catilinam & spe, & cupiditate in-  
 flammatum viderent, omnes, qui illam à rep. pe-  
 stem depellere cupiebant, ad Muranam se statim  
 53 contulerunt. \* magna est autem comitijs consula-  
 ribus repentina voluntatum reclinatio, praesertim  
 cum incubuit ad virum bonum, & multis alijs ad-  
 iumentis petitionis ornatum. qui cum honestissimo  
 patre, atque maioribus, modestissima adolescentia,  
 clarissima legatione, pratura probata in iure, gra-  
 ra in munere, ornata in prouincia, petisset diligen-  
 ter, & ita petisset, ut neque minanti cederet, ne-  
 que cuiquam minaretur: huic mirandum est, ma-  
 gno adiumento Catilina subitam spem consulatus  
 54 adipiscendi fuisse? \* Nunc mihi tertius ille locus est  
 orationis de ambitus criminibus, perpurgatus ab is,  
 qui

PRO L. MURÆNA.

qui ante me dixerunt, à me, quoniam ita Muræna  
 voluit, retractandus. quo in loco Postumio familia-  
 ri meo, ornatissimo viro de diuisorum indicijs, &  
 de deprehensis pecunijs: adolescenti ingenioso &  
 bono, Seru. Sulpitio, de equitum centurijs: M. Ca-  
 toni, homini in omni virtute excellenti, de ipsius  
 accusatione, de S. C. de rep. respondebo. sed pauca,  
 qua meum animum repente mouerunt, prius de L.  
 Muræna fortuna conquerar. \* Nam cum sapè an- 55  
 tea, iudices, & ex aliorum miserijs, & ex meis cur-  
 ris, laboribusque quotidianis, fortunatos eos homi-  
 nes iudicareti, qui remoti a studijs ambitionis, o-  
 tium ac tranquillitatem viros secuti sunt: tum verò  
 in his L. Muræna tantis, tamque improvisis pericu-  
 lis ita sum animo affectus, vt non queam satis ne-  
 que communem omnium nostrum conditionem, ne-  
 que huius euentum fortunamque misereri: qui pri-  
 mum dum ex honoribus continuis familia, maio-  
 rumque suorum vnum ascendere gradum dignita-  
 tis conatus est, venit in periculum, ne & ea, qua re-  
 lecta, & hæc qua ab ipso parta sunt, amittat: dein-  
 de propter studium noua laudis, etiam in veteris  
 fortuna discrimen adducitur. \* qua cum sunt gra- 56  
 uia, iudices, tum illud acerbissimum est, quod ha-  
 bet eos accusatores, non qui odio inimicitiarum ad  
 accusandum, sed qui studio accusandi ad inimici-  
 tias descenderent: nam vt omittam Ser. Sulpitium,  
 quem intelligo non iniuria L. Muræna, sed honoris  
 contentione permotum: accusat paternus amicus

¶



ORATIO

Cn. Postumius, vetus, vt ait ipse, vicinus ac necessarius, qui necessitudinis causas complures protulit, simultatis nullam commemorare potuit: accusat Ser. Sulpitius sodalis filij, cum ingenio paterni omnes necessarij munitores esse debebant: accusat M. Cato, qui, quanquam à Murana nulla re vnquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac ciuitate natus, vt eius opes, & ingenium presidio multis etiam alienisimis, vix cuiquam inimicus esse deberet. \* Respondebo igitur Postumio primum, qui nescio quo pacto mihi viderur pratorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum, incurrere. cuius competitorum si nihil deliquerunt, dignitati eorum concessit, cum petere desistit: sin autem eorum aliquis largitus, experendus amicus est, qui alienam potius iniuriam, quam suam persequatur.

Ea omnia, quae & Postumio, & Ser. Sulpitio adolescenti responsa sunt, desiderantur.

§8 \* Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum, ac robur totius accusationis: qui tamen ita grauis est accusator, & vehemens, vt multò magis eius auctoritatem quam criminationem pertimescam. in quo ego accusatoie, iudices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murana dignitas illius, ne quid expectatio tribunatus, ne quid totius vitae splendor & grauitas noceat: denique ne ea soli huic obfint

PRO L. MVRÆNÆ.

Obſint bona M. Catonis, quæ ille adeptus eſt, vt  
 multis prodeſſe poſſet, bis conſul fuerat P. Africa-  
 nus, & duos terrores huius imperij, Carthaginem,  
 Numantiamque deleuerat, cum accuſauit L. Cot-  
 tam, erat in eo ſumma eloquentia, ſumma fides,  
 ſumma integritas, auctoritas tanta, quanta in ipſo  
 imperio populi R. quod illius opera tenebatur. ſapè  
 hoc maiores natu dicere audiui, hanc accuſatoris  
 eximiam dignitatem plurimum L. Cottæ profu-  
 iſſe. noluerunt ſapientiſſimi homines, qui tam rem-  
 illam iudicabant, ita quenquam cadere in iudicio,  
 vt nimis aduerſarij viribus abiectus videretur.\* 59  
 quid? Sergium Galbam (nam traditum memoria  
 eſt) nonne proauo tuo, fortiſſimo, atque florentiſ-  
 ſimo viro, M. Catoni, incumbenti ad eius perniciem,  
 populus R. eripuit? ſemper in hac ciuitate nimis ma-  
 gnis accuſatorum opibus, & populus vniuerſus, &  
 ſapientes, ac multum in poſterum proſpicientes  
 iudices reſtiterunt. nolo, accuſator in iudicium  
 potentiam afferat, non vim maiorem aliquam,  
 non auctoritatem excellentem, non nimiam grati-  
 am: valeant hæc omnia ad ſalutem innocentium,  
 ad opem impotentium, ad auxilium calamitoſorum:  
 in periculo verdè & in pernicie ciuium repudien-  
 tur.\* nam ſi quis hoc forte dicit, Catonem deſcen- 60  
 ſurum ad accuſandum non fuiſſe, niſi iuris de cau-  
 ſa iudicaſſet: inquam legem, iudices, & miſe-  
 ram conditionem inſtituet periculum hominum,  
 ſi exiſtimabit iudicium accuſatoris in reum  
 pro

## ORATIO

pro aliquo praiudicio valere oportere. ego tuum  
 consilium, Cato, propter singulare animi mei, de  
 tua virtute, iudicium, vituperare non audeo, non-  
 nulla in te forsitan conformare, & leuiter emen-  
 dare possum. non multa peccas, inquit ille fortissi-  
 mo viro senior magister: sed si peccas, te tegere pos-  
 sum. at ego te verisimè dixerim peccare nihil, ne-  
 que vlla in re esse huiusmodi, vt corrigendus potius,  
 quàm leuiter inuestigandus esse videare. finxit enim  
 re ipsa natura ad honestatem, gratitatem, tempe-  
 rantiam, magnitudinem animi, iustitiam, ad om-  
 nes denique virtutes magnam hominem, & excel-  
 sum. accessit his tot, doctrina non moderata, nec  
 mitis, sed, vt mihi videtur, pauld asperior, & du-  
 rior, quàm aut veritas, aut natura patiatur.\* &  
 Si quoniam non est nobis hac oratio habenda, aut cum  
 imperita multitudine, aut aliquo conuentu a-  
 grestium, audacius pauld de studijs humanitatis,  
 qua & mihi & vobis nota & iudicanda sunt, di-  
 scutabo. In M. Catone, iudices, hac bona, qua vide-  
 mus, diuina, & egregia, ipsius scitote esse propria:  
 qua nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non à  
 natura, sed à magistro. fuit enim quidam summo  
 ingenio vir, Zeno, cuius inuentorum amuli Stoici  
 nominantur. huius sententia sunt & precepta  
 eiusmodi: sapientem gratia nunquam moue-  
 ri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere,  
 neminem misericordem esse, nisi stultum, &  
 leuem: viri non esse, neque exorari, neque placari.  
 solos

PRO L. MVRAENA.

solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendacissimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges, nos autem, qui sapientes non sumus, fugitiuos, exules, hostes, insanos denique esse dicunt: omnia peccata esse paria: omne delictum scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocauerit: sapientem nihil opinari, nullius rei penitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. \* hoc homo ingeniosissimus M. Cato auctoribus eruditissimis inductus, arripuit, neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita viuendi, petunt aliquid publicani, caue quicquam habeat momenti gratia. supplicis aliqui veniunt miseri & calamitosi, sceleratus & nefarius fueris, si quicquam misericordia adductus feceris. fatetur aliquis se peccasse, & eius delicti veniam petit, nefarium est facinus ignoscere: at leue delictum est: omnia peccata sunt paria. dixisti quippiam, fixum & statutum est, non re ductus es, sed opinione: sapiens nihil opinatur. errasti aliqua in re: male dici putat haec. ex disciplina nobis illa sunt. dixi in senatu me nomen consularis candidati delaturum. iratus dixisti: nunquam, inquit, sapiens irascitur, at temporis causa, improbi, inquit, hominis est, mendacio fallere mutare sententiam turpe est: exorari scelus: misereri, flagitium. \* nostri autem illi, (fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia diffusum ingenio meo quassisse adiumenta

V doctri-

## ORATIO

doctrina) nostri, inquam, illi à Platone & Aristotele, moderati homines & temperati, aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse, misereri, distincta genera esse delictorum, & dispersas pœnas: esse apud hominem constantem ignoscendi locum: ipsum sapientem sapè aliquid opinari, quod nesciat: irasci nonnunquam, exorari eundem, & placari: quod dixerit, interdum, si ita rectius sit. mutare, de sententia decedere aliquando: omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. \* hos ad magistros si quare fortuna, Cato, cum ista natura detulisset, non tu quidem melior vir esses, nec fortior, nec temperantior, nec iustior. (neque enim esse potes) sed paulò ad lenitatem propensor: non accusares nullis adductus inimicis, nulla lacefitus iniuria pudentissimum hominem, summam dignitate atque honestate præditi imputares, cum in eiusdem anni custodia te atque L. Muranam fortuna posuisset, aliquo te cum hoc, reip. vinculo esse coniunctum: quod atrociter in senatu dixisti, aut non dixisses, aut seposuisses, aut mitiorem in partem interpretarere. \* ac te ipsum, quantum ego opinione auguror, nunc & animi quodam impetu concitatum, & vi natura atque ingenij elatum, & recentibus præceptorum studijs flagrantem, iam vsus flectet, dies leniet, atque mitigabit. etenim isti ipsi mihi videntur vestri præceptores & virtutis magistri, fines officiorum paulò lenius, quàm natura vellet, protulisse, ut, cum ad vltimum

PRO L. MVRAENA:

timum animo contendissemus, ibi tamen, vbi oportet, consisteremus. nihil ignoueris: imò aliquid, non omnia, nihil gratia caussa feceris: imò resistis gratia, cum officium & fides postulabit, misericordia commotus ne sis, etiam in dissoluenda seueritate: sed tamen est laus aliqua humanitatis, in sententia permaneto: enimverò nisi sententia aliqua vicerit melior. \* huiusmodi Scipio ille fuit: 66 quem non poenitebat facere idem, quod tu: habere eruditissimum hominem, & pene diuinum domi: cuius oratione, & praeceptis, quanquam erant eadem ista, quae te delectant, tamen asperior non est factus, sed vt accepi à senibus) lenissimus. quis verò C. Latio comior? quis iucundior, eodem ex studio isto? quis illo grauior? sapientior? possum de L. Philippo, de C. Gallo dicere haec eadem: sed te domum iam deducam tuam. quenquamne existimas Catoe proauo tuo commodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse ad omnium rationem humanitatis? de cuius praestanti virtute cum verè grauius diceret, domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum, est illud quidem exemplum tibi propositum domi: sed tamen natura similitudo illius ad te magis, qui ab illo ortues, quam ad vnumquemque nostrum peruenire potuit: ad imitandum verò tam mihi propositum exemplar illud est, quam tibi. sed si illius comitatem, & facilitatem tuae grauitati seueritatiq; asperseris, non ista quidem erunt meliora, quae nunc sunt optima, sed

ORATIO

67 Certè condita iucundius. \* quare ad id , quod infir-  
 tui , reuertar , tolle mihi è causa nomen Catonis,  
 remoue , prætermitte auctoritatem , qua in iudi-  
 cys , aut nihil valere , aut ad salutem debet valere :  
 congregere mecum criminibus ipsis : quid accusas  
 Cato ? quid affers in iudicium ? quid arguis ? ambi-  
 tum accusas : non defendo. me reprehendis , quod  
 idem defendam , quod lege punierim : puniui ambi-  
 tum , non innocentiam : ambitum verò ipsum vel te-  
 cum accusabo , si voles. dixisti S. C. me referente  
 esse factum : si mercede corrupti obuiam candidatis  
 essent , si conducti sectarentur , si gladiatoribus vul-  
 gò locus tributus , & item prandia si vulgò essent  
 data , contra legem Calpurniam factum videri.  
 ergo ita senatus iudicat , contra legem facta hæc  
 videri , si facta sint. decreuit quod nihil opus est,  
 dum candidatis morem gerit. nam factum sit , nec-  
 ne , vehementer quaritur. si factum sit , quin con-  
 trã legem sit , dubitare nemo potest. \* est igitur  
 68 ridiculum , quod est dubium , id relinquere incer-  
 tum , quod nemini dubium potest esse , id iudicare.  
 atque id decernitur omnibus postulantis candi-  
 datis , vt ex S. C. neque cuius inter sit , neque contrã  
 quem sit , intelligi possit , quare doce à L. Muranã  
 illa esse commissã : tum ego met tibi contra legem  
 commissã esse concedam. multi obuiam prodierunt  
 de prouincia decedenti , consulum petenti : solet  
 fieri. eccui autem non proditur reuerrenti ? qua  
 fuit ista multitudo ? primum. si tibi istam ra-  
 tio-

PRO L. MVRAENA.

tionem non possim reddere : quid habet admiratio-  
 nis, tali viro aduenienti, candidato consulari ob-  
 uiam prodisse multos? quod nisi esset factum, magis  
 mirandum videretur. \* quid si etiam illud addam, 69  
 quod à consuetudine non adhorret, rogatos esse  
 multos? num aut criminosum sit, aut mirandum:  
 qua in ciuitate rogati infirmorum hominum filios  
 propè de nocte ex vltima saepe vrbe deductum veni-  
 re soleamus, in ea non esse grauatos homines pro-  
 dire hora tertia in campum Martium, praesertim  
 talis viri nomine rogatos? quid, si omnes societates  
 venerunt? quarum ex numero multi hic sedent iu-  
 dices? quid, si multi homines nostri ordinis, hone-  
 stissimi? quid, si illa officiosissima, qua neminem pa-  
 titur non honestè in urbem introire, tota natio can-  
 didatorum? si denique ipse accusator noster Postu-  
 mius obuiam sum benè magna caterua sua venit?  
 quid habet ista multitudo admirationis? omitto  
 clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Lucul-  
 li, qui ad triumphum per eos dies venerat, hoc di-  
 co, frequentiam in isto officio, gratuitam non modò  
 dignitati illius vnquam, sed ne voluntati quidem  
 defuisse. \* at sectantur multi: doce mercede: con-  
 cedere esse crimen: hoc quidem remoto, quid repre-  
 hendis? quid opus est, inquit, sectatoribus? à me tu id  
 70  
 queris, quid opus sit eo, quo semper vsus sumus? ho-  
 mines tenues vnum habent in nostrum ordinem  
 aut promerendi, aut referendi beneficij locum,  
 hanc in nostris petitionibus operam, atque  
 affecta-



ORATIO

effectationem: neque enim fieri potest, neq. postulandum est à nobis, aut ab equitibus R. ut suos necessarios candidatos secedentur totos dies: à quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si vno basilicae spatio honestamur, diligenter obseruari videmur, & coli. tenuiorum & non occupatorum amicorum, est ista asiduitas: quorum

71 copia bonis, & beneficijs deesse non solet. \* noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officij, Cato: sine eos qui omnia à nobis sperant, habere ipsos quoque aliquid, quod nobis tribuere possint. si nihil erit prater ipsorum suffragium, tenue est. si suffragentur, nihil valent gratia: ipsi denique ut solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt: atque hac à nobis petunt omnia: neque vlla re alia, qua à nobis consequuntur, nisi opera sua compensari putant posse. itaque & legi Fabia, qua est de numero secedentium, & S. C. quod est L. Casare consule factum, restiterunt: nulla est enim pœna, qua possit obseruantiam tenuiorum, ab hoc vetere instituto officiorum excludere.\*

72 At spectacula sunt tributim data, & ad prandium vulgò vocati. etsi hoc factum à Murana omninò, iudices, non est, ab eius amicis autem more & modo factum est: tamen admonitus re ipsa, recordor, quantum hæc questiones in senatu habita, punctorum nobis, Serui, detraxerint. quod enim tempus fuit, aut nostra, aut patrum nostrorum memoria, quo hac, siue ambitio est, siue liberalitas, non fuerit, ut locus, & in Circo, & in foro daretur a-

PRO L. MVR AENA:

amicis, & tribulibus? hac homines tenuiores pri-  
mum, ne dum, qui ea suis tribulibus veteri instituto  
assequebantur.

Desunt nonnulla.

praefectum fabrū semel locum tribulibus suis de- 73  
disse: quid statuent in viros primarios, qui in Circo  
rotas tabernas tribulium causa compararunt?  
hac omnia sectatorum, spectaculorum, prandio-  
rum item crimina à multitudine in tuam nimiam  
diligentiam, Serui, coniecta sunt: in quibus ta-  
men Murana à senatus auctoritate defenditur.  
quid enim? senatus, num obuiam prodire crimen  
putat? non, sed mercede: conuince. num sectari  
multos? non, sed conductos: doce. num locum ad  
spectandum dare, aut ad prandium inuitare? mini-  
mè, sed vulgò passim. quid est vulgò? vniuersos. non  
igitur, si L. Natta, summo loco adolescens, qui, &  
quo animo iam sit, & qualis vir futurus sit, vide-  
mus, in equitum centurijs voluit esse, & ad hoc of-  
ficiū necessitudinis, & ad reliquum tempus gra-  
tiosus, id erit eius vitricofraudi, aut crimini: nec, si  
virgo Vestalis huius propinqua, & necessaria locum  
suum gladiatorium concessit huic, non & illa piè  
fecit, & hic à culpa est remotus, omnia hac sunt  
officia necessariorum, commoda tenuiorum, munia  
sandidatorum: at enim agit necum austerè, & Sto- 74  
V 4 icè

ORATIO

icè Cato: negat verum esse, allici benevolentiam ci-  
 bo: negat iudicium hominum in magistratibus man-  
 dantiis corrumpi voluptatibus oportere: ergo, ad ce-  
 nam petitionis causa si quis vocat, condemnatur.  
 quippe, inquit, tu mihi summum imperium, sum-  
 mam auctoritatem, tu gubernacula reip. petas fo-  
 uendis hominum sensibus, & delinendis animis, &  
 adhibendis voluptatibus? virum lenocinium, inquit,  
 à grege delicata iuuentutis, an orbis terrarum impe-  
 rium à populo R. petebas? horribilis oratio: sed eam  
 vsus, vitæ, mores, ciuitas ipsa respuit: neque tamen La-  
 cedamonis auctores istius vitæ, atque orationis, qui  
 quotidianis epulis in robore accumbunt: neque verò  
 Cretes, quorum nemo gustauit vnquam cubari,  
 melius, quam Romani homines, qui tempora volup-  
 tatis laboribus, dissipant, resq. suas retinuerunt: quo-  
 rum alteri vno aduentu nostri exercitus delecti sunt,  
 alteri nostri imperij presidio disciplinam suam, le-  
 gesque conseruant. \* quare noli, Cato, maiorum in-  
 stituta, quæ res ipsa publica, quæ diuturnitas imperij  
 comprobant, nimium seuera oratione reprehendere.  
 fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros  
 & honestus homo, & nobilis, Q. Tubero. is, cum epu-  
 lum Q. Maximus, Africani patris sui nomine, populo  
 R. daret, rogatus est à Maximo, & triclinium ster-  
 neret, cum esset Tubero eiusdem Africani sororis fi-  
 lius. atque ille, homo eruditissimus, ac Stoicus, stra-  
 uit pelliculis bædini lectulos Punicanos, & expo-  
 suit vasa Samia: quasi verò esset Diogenes Cynicus  
 mortuus, & non diuini hominis Africani mors ho-  
 nestæ

PRO L. MURAENA.

vestiretur : quem cum supremo eius die Maximus  
laudaret, gratias egit dijs immortalibus, quod ille  
vir in hac rep. potissimum natus esset : necesse enim  
fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset  
huius in morte celebranda, grauer tultit popu- 76  
lus R. hanc peruersam sapientiam Tiberonis.  
itaque homo integerrimus, cuius optimus, cum esset  
L. Pauli nepos, P. Africani, vt dixi, sororis filius, his  
hoedinis pelliculis pratura deiectus est. odit populis R.  
priuatam luxuriam, publicam magnificentiam di-  
ligit : non amat profusas epulas, sordes, & inhumana-  
nitatem multo minus : distinguit rationem officio-  
rum ac temporum, vicissitudinem laboris ac volup-  
tatis. Nam quod ais nulla re allici hominum mentes  
oportere ad magistratum mandandum, nisi digni-  
tate: hoc tu ipse, in quo summa est dignitas, non ser-  
uas. cur enim quenquam, vt studeat tibi, vt te adiu-  
uet, rogas? rogas tu me, vt tibi presis, vt committam  
ego me tibi? quid tandem? istud me rogari oportet abs  
te, an te totius a me, vt pro mea salute laborem, pe-  
riculumq, suscipias? quid, quod habes nomenclato- 77  
rem? in eo quidem fallis, & decipis, nam si nomine  
appellari abs te ciues tuos honestum est : turpe est  
eos notiores esse seruo tuo, quam tibi: sin etiam notis:  
tamen per monitorem appellandi sunt? cur non  
ante petis, quam susurravit? aut quid, cum admo-  
neris, tamen quasi tute notis, ita salutis? quid po-  
steaquam es designatus, multos salutas negligentius?  
hac omnia ad rationem ciuitatis diuigas, recta sunt:  
sin perpendere ad disciplina precepta velis, reperi-

V s antur

ORATIO

antur prauissima. quare nec plebi Rom. eripiendi  
 fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conuiuio-  
 rum, qua omnia maiores nostri comparauerunt:  
 nec candidatis ista benignitas adimenda est, qua  
 liberalitatem magis significat, quam largitionem.  
 78 \* ut enim te ad accusandum resp. adduxit. credo,  
 Cato te isto animo, atque ea opinione venisse, sed tu  
 imprudentia laboro: ego, quod facio, iudices, cum a-  
 micitia, dignitateque L. Murena gratia facio, tum  
 me pacis, otij, concordia, libertatis, salutis, vitæ denique  
 omnium vestrum caussa facere clamo atque obtestor.  
 audite, audite consulem, iudices, nihil dicam arro-  
 gantius, tantum dicam, totos dies atque noctes de rep.  
 cogitarem. vsque ad L. Catilina temp. despexit atque  
 contempsit, ut eâ copiâ, quam secum eduxit, se hanc  
 ciuitatem oppressurum arbitraretur. latius patet il-  
 lius sceleris contagio, quam quisquam putat: ad plu-  
 res pertinet: intus, intus, inquam, est equus Troianus,  
 79 à quo nunquã, me consule, dor miêtes opprimimini.\*  
 queris à me quid ego Catilinam metuam? nihil: & cu-  
 rari, ne quis metueret: sed copias illius, quas hic vi-  
 deo, dico esse metuendas: nec tam timendus est nûc ex-  
 ercitus L. Catilina, quam isti, qui illum exercitû de-  
 seruisse dicuntur: non enim deseruerunt, sed ab illo  
 in speculis, atq; insidijs relictî, in capite atq; in cerui-  
 cibus nostris restiterunt. hi & integrum consulem, &  
 bonû imperatorem, & natura, & fortuna cum reip.  
 salute coniunctum, deijci de vrbe praesidio, & de cu-  
 stodia ciuitatis, vestris sententijs perturbari volunt,  
 quorum ego ferrum & audaciam reijci in campo,  
 debi=

PRO L. MVRAENA.

debilitavi in foro, compressi etiam domi mea saepe, iudices. his vos si alterum consulem tradideritis, plus multo erunt vestris sententijs, quam suis gladijs consecuti. magni interest, iudices, id quod ego multis repugnantibus egi, atque perfeci, esse Kal. Ian. in rep. duos consules. \* nolite arbitrari, mediocribus consilijs, aut vstitatis vjjs, aut lege improba, aut perniciosa largitione, auditum aliquando aliquid malum reip. quari. inita sunt in hac ciuitate consilia, iudices, vrbis delenda, ciuium trucidandorum, nominis R. extinguendi. atque haec, ciues, ciues, inquam (si eos hoc nomine appellari fas est) de patria sua & cogitant, & cogitauerunt. horum ego quot die con- silijs occurro, audaciam debilito, scelere resisto. sed vos moneo, iudices: in exitu est iam meus conuictus: nolite mihi subtrahere vicarium meae diligentiae: nolite adimere eum, cui temp. cupio tradere incolumem ab his tantis periculis defendendam. \* atque 8p ad haec mala, iudices, quid accedat aliud, non videtis? te, te appello, Cato, nonne prospicis tempestatem annitui? iam enim hesternae concione intonat vox perniciose designati tribuni collega tui: contra quem multum tua mens, multum omnis boni prouiderunt, qui te ad tribunatus petitionem vocauerunt. omnia, quae per hoc triennium agitata sunt, iam ab eo tempore, quo à L. Catilina, & Cn. Pisone intum consilium senatus interficiendi scitis esse, in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt. \* qui locus 82 est, iudices, quod tempus, qui dies, qua nox, cum ego non ex istorum insidijs ac mucronibus, non salum meo, sed

ORATIO

sed multò etiam magis diuino consilio eripiâr, atque  
 euolem? neque isti me meo nomine interfici, sed vigi-  
 lantem consulem de reip. præsidio dimouere volunt:  
 nec minus vellent, Coto, te quoque aliqua ratione, si  
 possent, tollere: id quod, mihi crede, & agunt, & mo-  
 liuntur, vident enim, quantum in te sit animi, quan-  
 tum ingenij, quantum auctoritatis, quantum reip.  
 præsidij. sed cum consulari auctoritate, & auxilio  
 spoliatam vim tribunitiam viderint, tum se facili-  
 us inermem & debilitatum te oppressuros arbitran-  
 tur. nam, ne sufficiatur consul, non timent: vident  
 in tuorum potestate collegarum fore: sperant sibi Si-  
 lanum clarum virum, sine collega, te sine consule,  
 remp. sine præsidio obijci posse. his tantis in rebus, tan-  
 tisque in periculis, est tuum, M. Cato, qui non mihi,  
 non tibi, sed patriæ natus es, videre quid agatur,  
 retinere adiutorem, defensorem, socium in rep. con-  
 sulem non cupidum, consulem ( quod maxime tem-  
 pus hoc postulat ) fortuna constitutum ad amplex-  
 andum octium, scientia ad bellum gerendû: animo &  
 84 vsu, ad quod velis negotium. \* quanquam huiusce  
 rei potestas omnis in vobis sita est, iudices: totâ temp.  
 vos in hac cõssa tenetis, vos gubernatis. si L. Catili-  
 na cum suo consilio nefariorum hominum, quos secû  
 eduxit hac de re posset iudicare, condemnaret L. Mu-  
 renam: si interficere posset, occideret: petunt enim ra-  
 tiones illius, vt orbetur auxilio resp. vt minuatur con-  
 tra suum furorem imperatorum copia: vt maior fa-  
 cilitas tribunis plebis detur depulso aduersario, se-  
 ditionis ac discordiæ concitanda: idemne igitur

PRO L. MVRAENA:

itur delecti amplissimi ex ordinibus honestissimi  
 atque sapientissimi viri iudicabunt, quod ille impor-  
 tumissimus gladiator, hostis reip. iudicaret: \* mihi 84  
 credite, iudices, in hac causa non solum de L. Mu-  
 rana, verum etiam de vestra salute sententiam fe-  
 retis, in discrimen extremum venimus: nihil est  
 iam, vnde nos resciamus, aut vbi lapsi resistamus,  
 non solum minuenda non sunt auxilia, qua habe-  
 mus: sed etiam noua, si fieri possit, comparanda.  
 hostis est enim non apud Anienem, quod bello Puni-  
 co grauissimum visum est, sed in vrbe, in foro, (dij  
 immortales, sine gemitu hoc dici non potest) non  
 nemo etiam in illo sacrario reip. in ipsa, inquam,  
 curia non nemo hostis est, dij faxini, vt meus colle-  
 ga vir fortissimus hoc Catilina nefarium latroci-  
 nium armatus opprimat: ego togatus, vobis bonisque  
 omnibus adiutoribus, hoc, quod conceptum resp. pe-  
 riculum parturit, consilio discutiam, & compri-  
 mam. \* sed quid tandem fiet, si hac elapsa de ma- 85  
 nibus nostris in eum annum, qui consequitur, re-  
 dundarim? vnus erit consul, & is non in administrando  
 bello, sed in sufficiendo collega occupatus. hunc iam  
 qui impedituri sint, siquidem

desunt nonnulla.

¶ Illa pestis inmanis, importuna Catilina prorumpet,  
 qua poterit, & iam pop. R. minatur: in agras  
 suburbanos repente aduolabit: versabitur in ca-  
 stris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in  
 campo.



## ORATIO

campo exercitus, in agris vastitas: omni autem in  
 lede ac loco ferrum flammamque metuemus: quo-  
 rum diu comparantur: eadem ista omnia, si ornata  
 suis praedijs erit resp. facile & magistratum con-  
 silijs, & priuatorum diligentia opprimuntur. \* Quae  
 cum ita sint, iudices, primum reip. causa, qua nulla  
 res cuiquam potior debet esse, vos pro mea summa,  
 & vobis cognita in temp. diligentia moneo, pro au-  
 thoritate consulari hortor, pro magnitudine peri-  
 culi obtestor, ut o. io, ut paci, ut saluti, ut vita vestra  
 & ceterorum civium consulatis: deinde ego fidem  
 vestram vel defensoris, & amici officio adductus oro  
 atque obsecro, iudices, ut ne hominis miseri, & cum  
 corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Mu-  
 rana recentem gratulationem novam lamentatione  
 obruatur: modò maximo beneficio populi Rom. or-  
 niatus, fortunatus videbatur, quod primus in fami-  
 liam veterem, primus in municipium antiquissimum  
 consulatum attulisset: nunc idem squalore, sordibus  
 confectus, morbo, lacrymis ac mœrore perditus, ve-  
 ster est supplex, iudices, vestram fidem obtestatur,  
 misericordiam implorat, vestram potestatem ac ve-  
 stras opes intuetur. \* nolite per deos immortales, iu-  
 dices, hac eum re, qua se honestiorem fore putavit,  
 etiam ceteris antè parvis honestatibus, atque omni di-  
 gnitate fortunaque priuare. atq. ita vos Murana, iu-  
 dices, orat atque obsecrat: si iniuste reminem laesit, si  
 nullius aures voluntatemve violauit, si nemini, ut  
 lenissime dicam, odio nec domi, nec militia fuit: sit  
 apud vos modestia locus, sit demissis hominibus per-  
 fugi-

PRO L. MURAENA.

fugium, sit auxilium pudori, misericordiam spoliato  
 consulatus magnam habere debet, iudices: vna  
 enim eripiuntur cum consulatu omnia. inuidiam  
 vero his temporibus habere consulatus ipse nullam  
 potest: obicitur enim concionibus seditiosorum, in-  
 sidijs coniuratorum, telis Catilinae: ad omne denique  
 periculum, atque ad omnem inuidiam solus opponi-  
 tur. \* quare, quid inuidendum Murenae, aut cuiquam  
 nostram sit, in hoc praclaro consulatu, non video, iu-  
 dices: quae vero miseranda sunt, ea & mihi ante o-  
 culos versantur, & vos videre & prospicere potestis,  
 si (quod Iupiter omen auertat) hunc vestris senten-  
 tijs afflixeritis, quod se miser vertet? domumne? ut e-  
 am imaginem clarissimi viri parentis sui, quam  
 paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione  
 conspexit, eandem deformatam ignominia lugen-  
 temque videat? an ad matrem? qua misera modò  
 consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, &  
 sollicita est, ne eundem paulò post spoliatum omni  
 dignitate conspiciat? \* sed quid ego matrem aut do-  
 mum appello, quem noua poena legis & domo, &  
 parente, & omnium suorum consuetudine, conspe-  
 ctuque priuat. ibit igitur in exilium miser? quò?  
 ad Orientisne partes, in quibus annos multos lega-  
 tus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit?  
 at habet magnum dolorem, ut de cum honore dece-  
 serit, eodem cum magna ignominia reuertit. an se in  
 contrariam partem terrarum abdet? ut Gallia Tran-  
 salpina, quem nuper summo cum imperio libentissi-  
 mè viderit, eundem lugentem, marentem, exulem

ORATIO

90 Videat? in ea porro provincia, quo animo C. Murænam fratrem suum adspiciet? qui huius dolor? qui illius mœror erit? quæ utriusque lamentatio? quanta autem perturbatio fortuna, atque sermo? quod, quibus in locis paucis ante diebus factum esse consulem Murænam, nuncijs literaque celebrassent, & vnde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eò accedat ipse nuncius suæ calamitatis? \* Qua si acerba si misera, si iuctuosa sunt, si alienissima à mansuetudine, & misericordia vestra, iudices, conseruate populi Ro. beneficium, reddite reip. consulem, date hoc ipsius pudori, date patri mortuo, date generi & familia, date etiam Lanuuiio, municipio honestissimo, quod in hac causa frequens, mœstumque vidistis, nolite à sacris patrijs Iunonis Hospita, cui omnes consules facere necesse est, domesticum, & suum cōsulem potissimum auellere, quem ego vobis, si quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, consul consulem, iudices, ita commendo, ut cupidissimum oculi, studiosissimum honorum, acerrimum contra seditionem, fortissimum in bello, inimicissimum huic coniurationi, quæ nunc rempublicam labefactat, futurum esse promittam, & spondeam.

PRO